

Gramen spicatum, quod Spartum Plinio. *Tournes. hist.* 518.
Spartum herba Plinii. *Clas. hist.* 2. p. 225.

Habitat in montibus & collibus sabulosis juxta Aranjuez & Cienpozuelos, copiosissime ad Bugonam quoque & Chinchon.

Radix perennis, aggregata radiculis filiformibus, crassis, magnos acervos foliorum & culmorum promens.

Culmi plures, bi vel tripedales, erecti, rigidi, crassitie culmo frumentaceo paulo tenuiores, sed tenaces, farcti.

Folia radicalia aggregata, copiosa, filiformiter arcte convoluta vel conduplicata, glabra, tenacissima.

Caulina breviora, simillima reliquis.

Vagina longæ, glaberrimæ, apparenter tamen striatæ, firmæ; terminatæ membranula tomentosa, lacera, crassiuscula, utrinque basi sæpius seta stipulæ instar aucta.

Flores in panicula contracta, erecta, spicata, spithama longiori; flosculis ubique & ramis erectis, adpressis.

CAL. *Gluma* bivalvis: valvulis subæqualibus: exteriore paulo longiore, membranaceis, tenuissimis, concavis, apice acutis, muticis, unifloris.

COR. simplex, uniflora, biglumis: *gluma exterior* calyce ferme dimidio brevior, subulato-convoluta, sericeo-pubescenti, apice terminata *arista* quintupla, basi angulata, contorta, latere exteriore pilis sericeis longiusculis vestita: reliqua parte setacea, nudo, medio geniculo reflexa: *Gluma interior* linearis, angustissima, mutica.

STAM. *Filamenta* tria, capillaria. *Antheræ* lineares.

PIST. *Germen* oblongum. *Styli* duo, hirsuti, acuti, basi uniti. *Stigmata* simplicia, pubescentia.

PER. nullum. *Corolla* arcte adnascitur semini, decidit.

SEM. oblongo-cylindricum, glabrum, utrinque acutum.

Hispanis nominatur *Esparto*. *Usus* hujus frequentissimus per universam Hispaniam ad stercas ob pavimenta lateritia, per hyemem: ad funes crassiores (Cabeltåg) pro navibus atque corbes & alia utensilia pro transportandis fructibus.